

quod secunda agentia limitato modo agunt, et sic minus universaliter, quam causa prima; unde determinant ejus universalissimum concursum, ut non operetur quidquid de se potest, sed quod ista causa secunda potest, ei se accommodando. Quod non est determinate concursum divinum indifferentem eligendo, et sumendo concursum quem voluerit, si quidem ipsum sic eligere, et sic determinate velle, etiam ex Deo est, et ex ejus concursu, sed est limitare divinam actionem ad certam speciem actus vel effectus, quia hac causa particularis solum potest hanc speciem effectus producere, et Deus accommodat actionem et virtutem suam, ut in illa, non ad aliud concurrat.

ALTERA SENTENTIA OPPOSITA DE DECRETO EX SE EFFICACI.

XXVII. Huc usque retulimus sententiam, variosque modos eam explicandi, quæ ponit decreta Dei indifferentia expectantia determinationem voluntatis, ut juxta illam determinet Deus efficaciter, et absolute determinatum concursum præbere, non autem ex natura sua efficaciam habentia, sed ex suppositione nostræ determinationis, indeque denominatione quadam extrinseca decretum Dei efficax dici. Altera ergo principalis sententia est, decreta Dei ex se, et ex natura sua esse efficaciam ad determinatos actus liberos, non ex suppositione determinationis voluntatis nostræ, sed ex causalitate ipsa talis voluntatis, et decreti Dei, quo causat istam determinationem causæ liberæ, ejusque modum, scilicet libertatem, et non tollit istam, quia causat eam, et est radix illius. Hanc sententiam esse D. Thomæ et Scoti, aliorumque antiquorum, et plurium recentiorum,

postea ostendam, et hoc ordine procedetur, quod prius ostendemus, decreta ista indifferentia de se, et solum ex suppositione, et ex quadam denominatione extrinseca efficacia, non subsistere. Deinde, quomodo D. Thomas et alii antiqui posuerint efficaciam decretorum ex se. Et denique rationes et fundamenta hujus sententiæ explicabo.

ARTICULUS III.

*Decreta indifferentia deportantur.*

Satis quidem videri posset ad explodenda, et rejicienda ista decreta indifferentia circa nostros actus liberos tanta, et tam magna varietas suorum auctorum in eis explicandi, et quam difficile respondeant ad difficultatem propositam, a qua devorantur. Ex quibus omnibus resumimus præcipua fundamenta rejiciendi indifferentia ista decreta non efficacia ex natura sua, sed ex suppositione nostri consensus prævisi, et hæc nostra sententia est et firma resolutio: DEI DECRETA NIL EXPECTANT VEL SUPPONUNT EX NOSTRA VOLUNTATE, UT DETERMINATE ET EFFICACITER OPERENTUR, QUIA QUOD DIVINUM EST, TOTUM CAUSAT, NIL A CREATURA EXPECTAT.

Et ista fundamenta reducuntur ad tria.

Primum, quia ista decreta non subsistunt nisi posita scientia media, qua Deus præcognoscat ante omne decretum suum quid determinatur, aut factura est voluntas nostra. Proinde everso hoc fundamento, et negata scientia media, ruat necesse est tota ista indifferentium decretorum compositio.

Secundum est, quia sequuntur ex illa positione maxima inconvenientia, quæ evitari non possunt, nec explicari ab oppositis auctoribus,

præcipue quia tota efficacia, et infallibilitas divinæ providentiæ, et operationis reducitur in suppositionem tenentem se ex parte creaturæ, et prævisam; deinde, quia illa indifferentia decretorum cum debeat determinari, et resolvi in aliquem concursum determinatum, quo concurrat cum creata libertate, est inexplicabile quomodo resolvatur, et determinetur ab ipsa voluntate creata, et non incipiat determinari a divino decreto. Quod si a se incipit, non est ex se pure indifferentem, sed determinatum ante consensum liberi arbitrii, imo debet ipsum causare, non supponere, atque adeo absolute est prius illo, et ex natura sua determinatum et efficax.

Tertium fundamentum est a priori, confirmando et ostendendo decretum Dei debere esse efficax, et determinatum, etiam circa actus liberos ex natura sua, non ex suppositione nostra: inde enim etiam manifeste deducitur abroganda esse decreta indifferentia.

De hoc tertio fundamento agemus articulo sequenti, de primo egimus late tomo præcedenti, disp. xx, contra scientiam mediam. Non sunt ea nobis repetenda, sed supponenda. Nunc solum restat videre, quomodo ista decreta indifferentia non possunt stare, nisi in hac scientia media subsistendo. Id vero non negant oppositi auctores, et diserte Vasquez advertit disputatione illa xcix, cap. vii, quod nisi præcedat ista scientia, qua videt Deus quid facta sit voluntas in qualibet occasione, non potest habere illa decreta comitantia nostræ voluntatis cooperationem. Et in promptu ratio est, quia providentia Dei debet gubernare et dirigere infallibiliter omnes actiones creaturarum, et providere omni enti creato, et ejus actionibus, et motibus. Oportet ergo quod tales actiones præcognoscat, et omnem ea-

rum fallibilitatem, et modos quibus fieri, vel deficere possunt sciat, ut infallibili modo providere possit. Non potest autem omnia ista cognoscere, nisi vel in se ipso tamquam in causa infallibili et efficacitalium motuum, et actionum atque determinationum, vel in ipsis creaturis, videndo determinationem earum, per quam ipsum indifferentem concursum Dei, et ad utrumque paratum eligunt ac determinant, et hoc præviso etiam Deus determinatum suum, juxta id quod videt in creatura. Hoc secundum est scientia media, quæ antecedit omne decretum Dei de facto habitum, et solum considerat illud sub conditione. Primum autem est positio decretorum ex natura sua efficacium. Ergo qui negaverit illa, et solum posuerit indifferentia et expectantia determinationem creatæ voluntatis, ut Deus discernat determinate concurrere, oportet quod ad scientiam mediam recurrat, ut ex illa infallibiliter providentia divina dirigat motus omnes creatæ libertatis. Et e contra, qui negaverit scientiam mediam, necesse est ponat decreta ex natura sua efficaciam, per quæ determinationem omnem creatæ voluntatis Deus cognoscat. Quare primum fundamentum explodendi decreta indifferentia, quibus Deus non determinat, sed supponit determinationem voluntatis nostræ, est negatio scientiæ mediæ, sine qua illa non possunt sustineri.

I. De secundo fundamento, scilicet de inconvenientibus, quæ in istis decretis indifferentibus, et ex se vacuis efficacitate inveniuntur, multa jam significavimus inter referendum et impugnandum sententias, quibus auctores oppositi ea explicant. Breviter ea nunc resumimus.

II. Primum inconveniens est. Si dantur decreta indifferentia ex se, et solum ex suppositione nostri con-

sensus efficacia respectu consensus nostri, et cooperationis nostræ (nam respectu eorum quæ a solo Deo fiunt, et non per nostram cooperationem non est difficultas, quod ex se efficaciam habeat causalitas et decretum Dei, sequitur quod aliquid Deus respiciat ex parte creaturæ, quod suæ omnipotentiae non subsit, nec ab ea causari et derivari possit, ita plene, et absolute sicut subest, et derivatur a potentia creata, scilicet libera illa determinatio et consensus, quem expectat, et supponit, et super quam non habet Deus efficaciam antecedentem ad causandam illam sub ratione liberæ determinationis, sed ab ipsa expectat determinationem sui indifferentis concursus. Et declaratur hoc, quia cum Deus dat vocationem congruam antecedentem ad inclinandam voluntatem, et offert concursum indifferentem, et indeterminatum ad utrumque extremum, scilicet velle vel non velle, totum hoc quod ex parte Dei se tenet, et datur, vel offertur, non sufficit ita determinare libere voluntatem efficaciter, sicut ipsa sufficit se determinare posita illa vocatione antecedenti, et oblato illo duplici concursu indifferenti: nam si aliquid amplius Deus faceret ad determinandum antecedenter in voluntate præter, ista dicunt quod læderet libertatem: ergo libertas creata ita delicata est quod aliquid potest ipsa circa determinatam cooperationem suam efficaciter determinandam, quod non cum illo temperamento et modo libero potest Deus ex se tamquam ex primo principio et radice omnis entis creati derivare, et causare, sed si ponat manum suam efficacem, lædet eam; ipsa vero efficaciter se determinando, non se lædit. Cur ergo Deus non poterit ex se derivare, ut primum principium, illum modum, quem creata voluntas ex se ut causa se-

cunda derivans, non se lædit? Nam libertas creata causat illam determinationem efficaciter ex virtute sua, tamquam ex virtute participata et derivata a primo ente et a prima causa, quæ est Deus, qui se habet ut radix et principium illius virtutis, et omnis motus, et determinationis ejus: *In ipso enim vivimus, movemur et sumus*, Actor. xvii: et iterum Rom. xi: *Non tu radicem portas, sed radix te*: Et ad Heb. i: *Portans omnia verbo virtutis suæ*. Si ergo omnia portat: ergo et determinationem illam libertatis, sicut ergo illa erumpit ex libertate creata, Deo spectante et prævidente, cur non etiam erumpit, et procedit a radice et principio primo talis libertatis, quæ est causa prima? Aut quomodo potest auctor ipsius voluntatis, et omnium rerum in solo motu libero creaturæ suæ ita hæere, ut si velit causare illum in quantum liber est, hoc ipso lædat et destruat libertatem? Certe inintelligibile videtur, quod Deus sit auctor et principium omnium rerum, entium, modorum, motuum, omnis rationis, aut formalitatis creatæ, sive per se immediate ea faciat, sive mediante creatura: omnia enim ex participatione divina originantur, et quod non sit causa antecedens et derivans ex se, et causans aliquem motum creaturæ, sed supponens, aut pure prævidens; et quod deterius est, quod creata libertas ex se causet illam determinationem, seu consensum, aut quidquid illud sit quod scientiam mediam prævidetur, et non causatur, et tamen divina potestas et causalitas, quæ illi voluntati assistit, eamque in esse continet, et est radix et principium illius, non possit id quod causat voluntas creata sine læsione suæ libertatis, etiam divina illa potestas causare. Quod si causat, antecedenter se habendo causat, quia omnis causa antecedit ef-

fectum sine hoc quod antecedentia illa lædat libertatem, quia causa talis libertatis est, nec solum est radix et principium ut se determinet voluntas, sed ut libere se determinet.

III. Nec potest dici, quod ratio liberi in illa determinatione non est denominatio reducibilis in Deum, sed quod ratio contingentiae, et liberi reducitur in causam creatam, et non importat respectum ad primam, quia respectus libertatis est respectus rationis ad modum operandi cum consideratione, quod invariata substantia et entitate actus variari potest, quæ est doctrina Vasquez disp. xcix, cap. vii, additque D. Thomam in hac quæstione xix, art. viii non bene reprehendisse opinionem quæ non reducit contingentiam causarum in causam primam, nec sequi quod alias essent præter intentionem Dei, ut ibi argumentatur S. Thomas, quia sufficit ad hoc quod etiam ex voluntate Dei eveniant, quia Deus decrevit cum causa libera concurrere juxta id quod illa postulat, quod satis est ut præter intentionem Dei non sit.

Cæterum hæc solutio quæ ita aperte D. Thomæ apponitur defendens opinionem quam ipse D. Thomas reprehendit, sustineri non potest. Licet enim inter D. Thomam et Scotum controversia sit, an contingentia causarum secundarum reducenda sit in efficaciam divinam, ut S. Thomas sentit, an in contingentiam illius, id est, in libertatem divinam, ut Scotus putat, quia existimat si Deus non operatur libere, quod nihil contingens remaneret, sed omnia necessario evenirent, tamen uterque conveniunt in hoc, quod contingentia, et libertas creata a Deo debet causari, et Deus est radix illius, et consequenter per respectum ad ipsum debet sumi, si-

ne in ordine ad ejus efficaciam, quæ potest tam contingentiam, quam necessitatem causare in rebus, sive in ordine ad ejus libertatem, sine qua putavit Scotus non posse temperari actionem Dei quin secum de necessitate raperet omnes causas inferiores. Et hujus ratio est, quia hoc quod est creaturas agere libere, et contingenter pertinet ad perfectionem creaturarum, et non ad privationem vel defectum, nam libere agere est perfectius quam agere ex necessitate naturæ, cum hoc quod est libere agere conveniat solum nobilissimis creaturarum, scilicet intellectualibus, et voluntarium est perfectius quam spontaneum, quale convenit brutis, nec solum est perfectio habere libertatem in potentia, sed etiam in exercitio, et in actu secundo: ergo tam libertas potentiae voluntatis, quam exercitii, et actus secundi est participata, et originata a Deo, quia omnis perfectio creata est a Deo causata, et participata; omnis autem perfectio participata dicit respectum, et ordinem ad id a quo participatur: ergo falsum est quod dicit Vasquez liberum in actu non dicere respectum ad primam causam ut operantem, nec actum esse liberum, quia solus Deus illum fieri decreverit, et fecerit. Falsissimum est hoc, quia solus Deus est primum principium a quo participatur, et derivatur actus ut liber, ut a primo ente: ergo ad illum, ut ad causam a qua participatur, dicit respectum, et quia solus Deus decrevit tamquam prima causa, ideo est liber actus, quia etsi exerceatur a voluntate, ab eaque dependeat, tamen hoc ipsum quod est dependere, et fieri a voluntate Deus fecit, et decrevit, et sic tandem reducitur ad solum Deum, ut ad primum ens et primam causam, saltem ea subordinatione, qua reliqua entia creata, et reliqui motus et actiones causarum secundarum in Deum reducuntur. Nam si

Vasquez vult rationem liberi non reduci in causam primam operantem, ut in principium formale, et proximum, verum dicit; sed non ad rem, quia Deus a nullo ponitur ut principium proximum creaturum actionum. Si autem vult non reduci in Deum, ut in principium primum omnis motus, et entitatis, et modi, etiam liberi, vehemens dictum est, et intolerabile, cum a Deo subtrahat, et non reducat ad illum ut ad primam causam nobilissimum modum operandi, qui est modus operandi libere. Si autem non referuntur ad causam primam motus nostri ut liberi: ergo neque subsunt providentiæ divinæ, quæ est providentiæ causæ primæ, quod esse contra sanctam Scripturam manifeste probat D. Thomas III contra gent. c. LXXXIX et XC contra opinionem quorundam qui dicebant, providentiam non esse de his, quæ subsunt libero arbitrio, scilicet de electionibus, sed de eventibus, seu effectibus, qui non sunt in nostra potestate, et ita indigent providentiâ.

IV. Et quando dicit Vasquez hunc respectum esse rationis, quia est dependentia a consideratione rationis, quæ potest variari invariata substantia, et entitate actus, valde in hoc a vero declinavit. Nam voluntas realiter habet subordinationem ad intellectum, a quo dirigitur et movetur ut a causa reali et vera: nam finis qui causat in voluntatem mediante apprehensione intellectus, vera et physica causa est, voluntas respiciens objectum ut propositum ab intellectu vere et realiter illud respicit, quia ab eo realiter pendet in suo actu, et variato dictamine intellectus, variatur respectus in voluntate, quia alio modo immutatur ad producendum actum suum. Cur ergo non erit respectus realis in actus voluntatis ad intellectum, si realiter illi subordinatur, ab

eoque dependet in sui actus elicientia? Sed esto; respiciat voluntas intellectus considerationem solo respectu rationis, tamen quod actus sit liber, non solum consistit in eo respectu, sed illum supponit, et principaliter consistit in ordine egressionis a potentia libera, a qua elicitur sine coactione, et necessitate, sed cum dominio ipsius super talem actum, ita eliciendo quod posset non elicere. Hic autem respectus in ipso actu ad suum principium a quo elicitur tali modo, realis est, quia fundatur in reali egressione et dependentia a voluntate ut dominante, et non ut coacta et serva: ergo si realis est, a prima causa participatus est.

V. Denique, quod Vasquez taxat D. Thomam ejusque rationem, valde inconsiderate dictum est. Nam si ille actus ut liber non causatur antecedenter et originative a Deo, sed solum concausatur, et Deus decernit causare cum illa, et concurrere juxta quod illa postulat: ergo solum Deus ex fine et intentione sua intendit auxiliari, et succurrere causæ creatæ, non vero ex intentione Dei est quod in tali causa detur illa cooperatio, cui ferre debet auxilium, et cum qua debet concurrere. Et hoc patet, quia id quod aliquod agens præsupponit, et non causat, non est ex ejus intentione, et causalitate derivatum, sed in illa sententiâ Deus præsupponit, et non causat illam determinationem voluntatis liberam, quæ determinat indifferentem concursum decreti divini: ergo illam determinationem ut præsuppositam Deus non respicit, tamquam ex sua intentione derivatam, sed præter eam factam. Minor admittitur ab opposita sententiâ. Major est certa, quia id quod præsupponitur, et non causatur ab aliquo agente, in eo in quo supponitur non est ab ipso; sic enim causaretur ab

eo, non supponeretur, ergo neque est ex ejus intentione, quia ad totum ad quod se extendit intentio Dei, extenditur ejus causalitas: quod ergo causalitas supponit, etiam intentio supponere debet, et non causare: frustra enim intenderet Deus fieri quod factum supponit, nec ad se reducitur: ergo idem est aliquid subtrahi a causalitate Dei, et ab ejus intentione, supponi ab ipso agente, et ab eo intendente, cum pari passu currant ejus intentio et causalitas, imo si ex ejus intentione esset, hoc ipso ex ejus causalitate esset, quia intentio causat per modum causæ finalis. Nisi dicatur quod intentio Dei est sola simplex et inefficax voluntas, quæ præcedit quidem in Deo respectu actus liberi creati ut liberi, sed non efficaciter causat, et operatur, etiam per modum intentionis, sed supponit ipsam determinationem creatæ voluntatis. Cæterum hæc responsio falsa est, ut jam sæpe ostendimus, cum etiam intentio efficax esse debeat in ratione causæ finalis, cujus gratia movetur efficiens ad agendum: nam si in suo genere et linea, id est, in genere causæ finalis efficax non est, non movebitur per se ab illo efficiens, et sic si operetur, erit per accidens, quia non per se connectitur cum illo fine intento, et sic per accidens exit operatio, si exit, non ex connexionem cum fine, et intentione ejus. Non habet autem connexionem per se cum effectu, si inefficax est, quia illa est inefficax voluntas cum qua stat bene non consecutio effectus et frustratio ejus: ergo non habet per se illationem, nec connexionem cum effectu: ergo si sequitur ex tali intentione, sequetur per accidens. Præterquam quod in illa sententiâ erit quidem voluntas Dei, seu intentio inefficax respectu effectus, qui simul coefficientus est a voluntate

creata, et Deo: nam cum ab utroque pendeat, habere videtur Deus respectu illius inefficacem voluntatem, quia aliquando sequitur ille effectus, aliquando non, prout associata causa se determinaverit, cujus determinationem ad hoc prævidet Deus, ut juxta illam possit, vel non possit efficaciter dirigi in effectum. Cæterum respectu ipsius causæ creatæ cooperantis, et determinationis ejus, quam dicitur Deus prævidere, nec efficacem, nec inefficacem intentionem Deus habet, quia non causat illam, sed supponit, et prævidet: si enim causaret, antecedenter se haberet, et decretum haberet ad determinandum talem causam ante quod decretum non posset prævidere determinationem illius voluntatis, et sic scientia illa qua id cognosceret, non antecederet omne decretum, nec esset scientia media. Et illa voluntas qua Deus causaret talem determinationem voluntatis, non esset præsupponens, aut expectans determinationem voluntatis ut cum illa causaret, quia hæc ipsa determinatio est id quod causandum est, non cum illa: ergo si eam Deus causat, non ex suppositione alterius causæ, sed ex absoluta efficacia causat, et sic dabitur jam efficax decretum circa liberam determinationem ex natura rei. Si autem absolute Deus de se non causat illam determinationem, nec ex præsuppositione alterius causæ: ergo illa determinatio evenit extra causalitatem Dei: ergo et extra intentionem. Et sic tenet semper consequentia D. Thomæ.

VI. Quod si intentio Dei respectu talis determinationis nostræ voluntatis in eo ponatur, quod Deus excitat, suadet, proponit, et vocat voluntatem, sive per externam prædicationem, sive per internam illustrationem: si hoc dicatur, valde inconvenienter dicitur, tum quia to-